



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

**Reck, Johann von der
Monasterii Westphaliæ, 1722**

VI. De Sacrificio Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

accipiunt de corpore & sanguine ejus. Sed adorant tantum ; non etiam faturantur , quia non imitantur : manducantes enim pauperem , dedignantur esse pauperes &c.

Item libro 20. contra Faustum c. 13. testatur tam usitatam fuisse Christianis Eucharistia adorationem , ut eorum obtrectatores falso confinxerint Cererem & Bacchum ab eisdem coli : ait enim : quomodo ergo comparas panem & calicem nostrum , & parem religionem dicis , errorem longè à veritate discretum ; pejus desipiens , quàm nonnulli , qui nos propter panem & calicem , Cererem ac Liberum colere existimant.

V I.

De Sacrificio Missæ.

S. Cyril. Hierosol. l. catech. 5. Mystag.
Deinde verò , postquam confectum est illud Spirituale Sacrificium , & ille cultus incruentus super ipsâ propitiatio- nis hostiâ ; obsecramus Deum pro

communi Ecclesiæ pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summâ pro iis omnibus, qui egent auxilio.

Et ibidem. Sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.

S. Chrysoſtomus in comment. Ps. 55. postquam illud Malachia cap. 1. adduxerat. NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS, &c. *subjungit.* Vide, quàm luculenter atque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama autem purum vocat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur.

S. Ambrosius in præparat ad Missam. Accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostrâ.

S. Irenæus lib. 4. adversus Her. c. 32.
Novi

Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in XII. prophetis Malachias sic præsignificavit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & Sacrificium non accipiam de manibus vestris, &c.* manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum: nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

Cyrillus Alexandrinus in declaratione Anathematis XI. sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis celebramus Sacrificium, non hominis alicujus nobis similis & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinem esse, quod proponitur, credentes; sed magis tanquam proprium vivificantis Verbi corpus & sanguinem accipimus.

S. Au-

S. Augustinus lib. 18. de Civit. Dei c. 35. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum jam cernimus propagatam, Judæis apertissimè dicit ex persona Dei : *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Hoc Sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cùm in omni loco, à solis ortu usque ad occasum, Deo jam videamus offerri ; Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est : *non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse, negare non possunt.*

Item lib. 2. de Civit. c. 10. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus ; sed uni Deo, & Martyrum & nostro, Sacrificium immolamus.

Et paulo post. Ipsum verò Sacrificium, Corpus est Christi,